

[1174—1186.]

[12

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Hermannus Dei gratia Mimigardevordensis ecclesiae episcopus. Quia variis quotidie periculis causarumque tumultibus pastoralis cura nos implicat spiritales quosque ac religiosae conversationis viros nostris semper consolationibus [et] beneficiis, quibus gaudemus, attollere, quorum indefessis orationibus velut armis coelestibus adversa quaeque repellere ac summam pastoris gratiam speramus obtinere. Inde est, quod curtem in Lette, qua ministerialis noster Hermannus de Capele cum patre Henrico inbeneficatus extitit, et dilecto nobis abbati de Varlar Werenboldo atque suis fratribus digno pretio accepto vendidit, ipso Hermanno cum patre his nobis eam voluntarie resignante, dilectis fratribus in Varlare Deo servientibus cum universis appendiciis suis et usibus benigna largitione contradimus, fideliter sperantes inde nobis nostrisque tam successoribus quam antecessoribus aeterna animarum pervenire remedia, unde pauperum Christi augmentantur quotidiana stipendia. Ut igitur haec nostrae pietatis largitio ipsis devotis Christi pauperibus stabilis in aevum et inconvulsa permaneat, eam ad noticiam omnium Christi fidelium tam futurorum quam praesentium paginae huius conscriptione transmittimus, quam nostro sigillo communitam si quis in posterum qualibet malignitatis arte cassare praesumpserit, eum, quoadusque se paenitendo correxerit, districta nostri anathematis ultione ferimus. Testes hi sunt Bernardus¹⁾ maior praepositus, Bernardus decanus, Franco vicedominus; nobiles Bernardus de Horstmahre, Rodolphus de Stenvorde, Conradus de Wetheringe; ministeriales Rutgerus de Regethe, Bernardus Werentze, Rotgerus de Billerbecke et Brunstenus, Rembertus de Stochem et alii quam plures.

Kopie im Varlarer Kopiar S. 45.

/01